



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

IX. Contra id, quod filios repromissionis ex Spiritu sancto dicunt esse conceptos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

virus de Manichææ impietatis specialiter fonte procedēs, olim fides catholica deprehendit atque damnauit.

IX.

Nona autem annotatio manifestat, quod filios promissionis, ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu sancto dicant esse conceptos, ne illa soboles, quæ de carnis semine nascitur, ad Dei cōditionem pertinere videatur. Quod catholicæ fidei repugnans atque contrarium est, quæ omnem hominem in corporis animæque * substantia a conditore vniuersitatis formari atque animari intra materna viscera confitetur: manente quidem illo peccati mortalitatisque contagio, quod in prolem a primo parente transcurrit, sed regenerationis sacramento subueniente, quo per Spiritum sanctum promissionis filii renascuntur, non in vtero carnis, sed in virtute baptismatis. Vnde & Dauid, qui vtique erat promissionis filius, dicit ad Deum: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.* Et ad Ieremiam Dominus ait: *Priusquam te formarem in vtero, noui te, &c.*

* subst-
scentia

*Psal. 118.
100 10.*

Ier. i.

X.

Decimo autem capitulo referuntur asserere animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse in corpore, & in cælesti habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas, in diuersæ qualitatis principes incidisse, & per aerias ac sidereas potestates, alias duriores, alias mitiores corporibus esse inclusas, forte diuersa & conditione dissimili, vt quidquid in hac vita varie & inæqualiter prouenit, ex præcedentibus causis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt: sed omnes eos catholica fides a corpore suæ vnitatis abscondit constanter prædicans atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporarentur nisi ab opifice Deo, qui & ipfarum est creator & corporum. Et quia per primi hominis præuaricationem tota humani generis propago vitiata sit, neminem posse a conditione veteris hominis liberari, nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla est discretio renatorū, dicente Apostolo: *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* *Galat. 5.*
Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque femina; omnes enim vnum estis in Christo Iesu.

Concil. Tom. 7.

FF